Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3305
Quelle:
Copyright:

tur, et velud sollicita martha turbabamur erga plurima non attendentes, quod solum vnum et necessarium scilicet pro optima parte commendabatur, ut nos cum deuotissima maria prius lacrimarum fletibus vicia extergentes ad pedes domini provolutis genibus prosternamus &c. Meminit Sermonis hujus J. *Dom. Mansius* citato, quem *Viennae* inspexit, nostro *Codice* ad *Fabricii Bibl. med. lat.* L. IX. p. 105. quid vero bonum Virum moverit, ut eum *Johanni de Heidenberg Joh. Tritbemii* patri adscriberet, non dispicio. Nihil tamen plus de *Joh. de Monte* pronuntiare possum, quem in Catalogo Personarum Concilii non reperi, quam eum fortassis O. P. et Universitatis *Colon.* Legatum fuisse, ad quem extat Universitatis *Epistola* in ejusd. *Mansii Supplem. Concill.* T. IV. *Lucae* 1750. *col.* 127. f.

III. *fol.* 15. p. 2. *Collacio M. Theodorici de Monasterio facta in concilio Constan. in Renunciacione papatus Gregorii per Karolum de malatestis.* Initium: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris. Jo. VIII. Verba sunt illius, qui est lux vera* &c. *Theodoricus* hic universit. *Colon.* ad Concilium legatus Sermonem hunc habuit anno 1415. 4. *Julii* praesente Caesare. Ejus meminere *Hardtius* in *Proleg. ad T. V. act.* ubi et Excerptum dedit, *Harzhemius* in *Bibl. Colon.* p. 303. et *Schelhornius* e *Cod. Krafft. supracit.*

IV. *fol.* 22. p. 2. *Collacio Magistri petri de pulka facta in Concilio Constancien.* Initium: *Hij sunt viri misericordie transsumptiue in lectione misse, originaliter Ecclesiast. 44. Sub hijs verbis, Illi viri misericordie sunt, Geminatam hodierne festiuitatis leticiam, que de beatissimorum petri et pauli glorificatione ac natali procedit annue celebrantes* &c. Multa et hic de perturbatis et afflictis rebus Ecclesiae. Inter alia: *Si quis diuinum inducat oraculum, irridendo repellunt dicentes, Theologus est, non nouit Juris permissionem, nec summi pontificis potestatem, si sanctorum patrum decreta, conuellunt dicentes, ea contraria consuetudine abrogata, si decretales penitentiales, respondent, eas toleratione prelatorum ex certa scientia ad parcendum multitudini peccantium mitigatas* &c. Habetur hic *Sermo* in *Cod. Krafft.* et alio, qui fuit *Academiae Vien.* et citatur in *Scriptt. Universit.* hujus P. I. p. 95. ubi pluribus de *Petro Tzach de Pulka* agitur.

V. *fol.* 36. *Sermo fratris Bertrandi sacre theologie professoris ordinis fratrum carmelitarum conuentus montis pessulani dominica XI. post trinitatis factus in Concilio Constancien.* Initium: *Bene omnia fecit. Marc. 7. et in evangelio currentis dominice verba hec habentur. Salutiferum dire pressure victorem, odoriferum summe nature cultorem cassiodorum* &c. Multum invehitur in vitia Cleri, maxime avaritiam et simoniam. Neque Viri, neque Sermonis ejus mentionem usquam fieri video.